

scientiae testimonio non satis congruit, et ad sensationes transformatas sensistarum accedere videtur.

Respondeo. *Neg. antec.* Ad probationem, *dist.* Quatenus ipse actus vitalis phantasiae deberet converti in alium actum, atque ita propriam naturam exuere, et aliam induere, *neg.*; eo modo immutationis qui intelligitur in omni causa instrumentali, quae sub influxu causae principalis operatur, *conc.* * Consistit haec mutatio, ait Cajetanus, in hoc quod (phantasma) de seorsum agente transit in ministrum alterius; constat autem quod eadem vis aliquid potest sub alterius auctoritate quod sola non posset. (In 1. p. q. 79. a. 3.)

293. *Coroll. I.* — **Distinctio intellectus agentis a possibili.** — Ex his, supposita reali distinctione facultatum animae, videtur esse consequens, eam agnoscendam esse etiam inter agentem et possibilem intellectum. Ille enim est potentia activa, eiusque actio non est intelligere; hic vero e converso. Quare, si, hoc non obstante, una eademque diceretur facultas, non video cur non eodem titulo id ipsum de voluntate et intellectu asseratur. Ad rem sanctus Thomas. * Secundum nullam differentiam entium diversificatur potentia intellectus possibilis. Diversificatur tamen potentia intellectus agentis et intellectus possibilis: quia respectu eiusdem obiecti aliud principium oportet esse potentiam activam, quae facit obiectum esse in actu; et aliud potentiam passivam, quae movetur ab obiecto in actu existente: et sic potentia activa comparatur ad suum obiectum ut ens in actu ad ens in potentia; potentia autem passiva comparatur ad suum obiectum e converso, ut ens in potentia ad ens in actu. (Summa th. 1. p. q. 79. a. 7.)

294. *Coroll. II.* — **Cuiusmodi est abstractio propria intellectus agentis.** — Patet praeterea, oppido differre invicem abstractionem exercitam ab intellectu possibili ab ea quae intellectui agenti tribuitur, cum ipse dicitur *abstrahere speciem a phantasmatis*. Prior enim abstractio invenitur in ipso actu cognoscendi, ut declaratum fuit in Logica [332, seqq.]. Altera vero est per modum efficientiae. Ne vero pueriliter hoc intelligas, rursus observa cum Sua-

rez: * Speciem non dici abstrahibilem vel abstrahi a phantasmatis, quasi ipsa species prius esset immixta phantasmatis, unde postea separaretur ab intellectu agente, ac transferatur in possibilem.... Intellectum ergo abstrahere speciem nihil est aliud, quam virtute sua efficere speciem spirituales repraesentantem eandem naturam quam phantasma repraesentat, modo tamen quodam spirituali, *illaque devotio a materiali repraesentatione phantasmatis ad spiritualem repraesentationem speciei intelligibilis dicitur abstractio*. Ex quo aperte constat, abstractionem non esse actionem distinctam a productione speciei. (De Anima, lib. 4. c. 2. n. 18.) Quod si quaeratur, quodnam est subiectum de cuius potentia haec species educatur, patet esse ipsum intellectum possibilem: ipse enim actione intellectus agentis transmutatur de potentia in actum huius formae [154]. Atque haec modo sufficienter de hac abstractione: plura enim opportuniori loco addemus inferius in sect. seqq.

295. *Coroll. III.* — **Quo sensu intellectus agens assimilatur lumini.** — Postremo colligitur analogia proportionalitatis, quae existit inter lumen corporale et intellectum agentem. Quemadmodum scilicet per lucem corporalem obiecta evadunt actu visibilia sensibus; sic per actionem intellectus agentis abstrahentis speciem a phantasmatis res materiales evadunt actu intelligibiles. Ex quo efficitur ulterius, istiusmodi illuminationem non esse actionem distinctam ab ipsa abstractione suo productione speciei intelligibilis. Hic vero duo animadvertite. Primo, praedictam comparisonem minime esse urgendam in eo quod, ut lux in corporalibus est quid extrinsecum videnti ac se tenet ex parte obiecti, sic etiam intellectus agens sit res quaedam extrinseca intelligenti ac per modum obiecti quod intelligatur. Non enim ex hac parte analogia desumitur: quandoquidem intellectus agens et est facultas animae inhaerens, et ad intelligendum concurret ut medium sub quo res intelligitur. Secundo, etsi ob rationem dictam intellectus agens dicatur esse *naturale rationis lumen*, non tamen unum idemque est *adaequate* cum hoc lumine. Dicitur enim naturale lumen ad intelligendum *totus vigor*

quem pars intellectiva animae ex creatione habet in ordine ad hunc actum qui est intelligere: siquidem ad ipsum pertinet manifestatio veritatis intelligibilis quae fit oculo mentis, sicut ad lumen materiale spectat manifestatio rerum sensibilium facta oculo corporali. Confer egregium opus cl. M. Liberatore (*Della conoscenza intellettuale*, vol. 2, c. 6.).

SECTIO VII.

De natura ipsius actus intelligendi quaestiones variae breviter perstringuntur.

296. **Consecutio ad praecedentia.** — Huc usque assignavimus omnia principia, unde ipse intelligendi actus progignitur in mente nostra, sive ex parte obiecti, sive ex parte subjecti. Recta doctrinae consecutio postulat, ut de ipso actu intelligendi pertractetur, sive quoad intimam naturam eiusdem et varia genera, sive quoad ordinem quo evolvitur et explicatur a corporalibus ad immaterialia ascendendo. In hac sectione perscrutabimur omnia quae universe ac generatim ad intrinsicam rationem huius actus pertinent. Quoniam vero satis multa huc pertinent, eaque difficilia et subtilia admodum, ne opus in immensum excreseat, per appositae quaestiones ac breves resolutiones praecipua contrahimus: siquidem brevitatis, maxime in re praesenti, perspicuitati minime nocet.

297. **Quaer. I.** — **In quo propria ac formalis ratio intellectiōnis est reponenda?**

Respondeo, tria esse quae communi naturae sensu certa hac in re habentur, et communii Doctorum scholasticorum calculo probantur.

I. Constat itaque primo, intellectionem esse actum eumque ultimum ac intrinsicae vitae. Dicitur actus per oppositionem ad potentiam, *ultimus* vero ut contradistin-

guatur a forma quae ut actus primus compleri adhuc habet per actum secundum qui est operatio. Dicitur praeterea esse *intrinsicae vitalis*, quatenus de sui ratione essentialiter postulat esse operatio potentiae vitalis operantis. Patet autem, intellectionem esse rem eiusmodi. Ratio enim vitae maxime invenitur in ente intellectuāli, prout huiusmodi. Ens autem intellectuāle duobus modis vivere dicitur, vel scilicet secundum quod simpliciter est in natura intellectuāli, tametsi non operetur, vel secundum quod est in actuali exercitio suae propriae operationis. Constat autem, actuale exercitium operationis propriae entis intellectuālis esse ipsum intelligere. Hic autem diligenter observa, de formali ratione huius operationis non esse motum vel mutationem aliquam. Existit quidem vera mutatio in nostro intellectu, sive dum recipit speciem, sive etiam dum actu considerare incipit quae prius habitualiter tantum sciebat: utrumque tamen per accidens se habet relate ad formalem rationem huius actionis quae est ipsum intelligere.

II. Certum est praeterea, hanc operationem esse plane *spiritualem*, pro eo quantum in sola anima residet, non vero in aliquo corporali organo quo exerceatur. Est enim suprema operatio animae, quae idcirco supergreditur totam capacitatem materiae corporalis.

III. Completur denique ratio propria intellectionis per hoc quod *per se et formaliter sit manifestativa* obiecti, manifestatione quidem facta ipsi intelligenti. Per hoc enim cognitionis actum distinguimus omnes a proprio actu appetitus. Immo haec vitalis manifestatio sic competit actui cognoscendi, ut si forte alteri rei tribuatur, id minime fiat nisi per ordinem ad manifestationem propriam actus cuiusque cognoscitivi. Quare hic maxime applicare licet praenuntiatum illud: *Propter quod unumquodque tale et illud magis.*

298. **Quaer. II.** — **Quo pacto et unde fiat, ut eandem rem unus alio perfectius intelligat?**

Respondeo ad I. Duplex consideratur perfectio in actu intelligendi, prout huiusmodi, *extensiva* scilicet et *intensiva*. Prior est maior vel minor pro maiori vel minori numero

notarum intelligibilium quae acie mentis in obiecto distinguuntur. Quocirca haec diversitas graduum in perfectione intelligendi spectari minime potest, nisi respectu obiecti quod, vel secundum se, vel saltem secundum modum quo cognoscitur, compositionem aliquam vel distinctionem, virtutalem saltem, in suis constitutivis praeseratur. Res autem simplex omnino, cuiusmodi est ex. gr. divina substantia, si videatur ut in se est, minime potest hoc priori titulo magis vel minus perfecte intelligi. Consideratur itaque secundo perfectio *intensiva* in intelligendo secundum maiorem vel minorem claritatem et certitudinem ipsiusmet actus intelligendi. Hac porro ratione nihil vetat, quominus eiusmodi diversi gradus existant in contemplatione, immediata licet, rei omnino simplicis, citra ullam distinctionem partium vel quasi partium quae in re fiat. Id sanctus Thomas egregio exemplo passim illustrat, cum scilicet eadem indivisibilis veritas, puta haec conclusio, *Triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis*, ab uno tenetur per probabilem rationem, quia scilicet sic communiter dicitur, ab alio vero ope demonstrationis. Ceterum difficulter plerumque explicari potest haec perfectio mere intensiva: unde eam declarare solemus per ordinem ad extrinsecos terminos, praesertim quando sermo est de perfectione aliqua simplici, in cuius virtute multi et diversi effectus existunt. In hoc casu, cognitio intensiva perfectior virtutis causae *tamquam a signo* declaratur per cognitionem extensive perfectiorem effectuum qui in tali virtute cognoscuntur.

Respondet ad II. Cum ad intellectionem duo concurrant, species scilicet intelligibilis, atque vigor quo mens instruitur ad ipsum actum intellectionis eliciendum, hinc ex utroque capite pendere potest maior vel minor perfectio in intelligendo. Sic, quae per speciem propriam capiuntur, ceteris paribus, perfectius intelliguntur, quam quae per speciem alienam et a re inferiori emendicantam. Similiter qui fortius acumen habet ad veritatem penetrandam, perfectius intelligit, quam qui non tanta vi pollet ingenii. Quod si ulterius quaeratur, quatenam est prima et intrinseca causa, cur e diversis hominibus unus alteri prae-

siet in naturali vi qua fruatur, sive ad species abstrahendas, sive ad iudicium ferendum de apprehensis, duplicem assignat S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 7. coll. 2. *Dist.* 32. q. 2. a. 3.). Altera facile intelligitur et experimento quotidiano comprobatur. Contingit nempe ex parte inferiorum virtutum quibus intellectus indiget ad sui operationem. * Illi enim, ait S. Doctor, in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. * (*Summa th.* 1. c.) Altera causa est ex parte ipsius virtutis in intelligendo, in quantum ipse intellectus in uno homine invenitur perfectior quam in alio. * Manifestum est enim, addit Angelicus, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam. Quod manifeste apparet in his quae sunt secundum speciem diversa. Cuius ratio est, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem. Unde etiam cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo. Unde dicitur in 2. de Anima, text. 94., quod *molles carne bene aptos mente videmus.* * (*loc. cit.*) Hoc vero dictum Aquinatis duplicem patitur interpretationem. Prima scilicet, quatenus, pro diversa complexionem corporum diversorum hominum, una anima sit *maioris perfectionis substantialis* quam altera, ex quo fiat consequens ut ipsa potentia intellectiva *secundum se* perfectior sit in uno quam in altero. Atqui haec interpretatio difficulter admodum cohaeret sive cum veritate, sive cum iis quae expresse alibi docet S. Thomas. Nam, ex mente S. Doctoris, perfectio substantialis rei cuiuslibet dicitur sistere in indivisibili pro eo quantum intra eandem speciem a diversis individuis non participatur secundum magis et minus [*Pr. Ph.* 520, 5*] (1). Fide autem et

(1) * Considerandum est, quod illud secundum quod sortitur aliquid speciem, oportet esse fixum et stans, et quasi indivisibile. Quaecumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quaecumque autem recedant ab illo vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam

ratione constat, omnes homines esse eiusdem speciei specialissimae. Hinc 3. p. q. 69. a. 8., cum S. Doctor obiectionem solvendam sibi proposuerit, quod scilicet gratia baptismi debeat esse inaequalis, quia inaequalis est capacitas naturalium, etiam in pueris, haec habet, *Dicendum quod diversa capacitas naturalium in hominibus non est ex diversitate mentis, quae per baptismum renovatur; cum omnes homines eiusdem speciei existentes in forma conveniant; sed est ex diversa dispositione corporum (loc. cit. ad 3.)*. Recurrere proinde oportet ad aliam interpretationem. Dicendum est scilicet, ob diversam complexionem corporum enasci *habitu quendam naturalem in ipsa mente*, ratione cuius haec evadit magis minusve apta ad propriam operationem, etsi nulla sit inaequalitas enitativae perfectionis, nec in ipsa substantia animae, nec consequenter in ipsa mente secundum quod est potentia naturalis. De tali habitu expresse loquitur S. Thomas in articulo quem ante citavimus [286, obiect. II], "Sunt quidem, ait, in hominibus aliqui habitus naturales, tamquam partim a natura existentes, et partim ab exteriori principio: aliter quidem in apprehensivis potentiis, et aliter in appetitivis. In apprehensivis enim potentiis potest esse habitus naturalis, et secundum

speciem vel perfectiorem vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit in 8. Metaph. text. 10., quod *species rerum aut sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem*. Si igitur aliqua forma vel quaecumque res secundum seipsam vel secundum aliquid sui sortiatur rationem speciei, necesse est, quod secundum se considerata habeat determinatam rationem, quae neque in plus excedere neque in minus deficere possit: et huiusmodi sunt calor vel albedo, et aliae huiusmodi qualitates quae non deuntur in ordine ad aliud, et multo magis substantia quae est per se ens. S. Thomas (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 52. a. 1.*). Alibi vero ideo relicit idem S. Doctor, ut plane impossibilem, opinionem Averrhois, dicentis formas substantiales elementorum suscipere magis vel minus, quia: "Esse substantiale cuiuslibet rei in indivisibili consistit, et omnis additio vel subtractio variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur in 8. Metaph. text. 10. Unde impossibile est quod forma substantialis quaecumque recipiat magis et minus." (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 4. ad 4.*)

naturam speciei et secundum naturam individui. Secundum quidem naturam speciei ex parte ipsius animae, sicut intellectus principiorum dicitur esse habitus naturalis.... *Secundum vero naturam individui est aliquis habitus cognoscitivus secundum inchoationem naturalem, in quantum unus homo ex dispositione organorum est magis aptus ad bene intelligendum quam alius.* (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 51. a. 1.*) In responsione vero ad 1., expresse docet, etiam eiusmodi habitus qui naturales dicuntur, non esse unum idemque cum potentia, sed aliquid ei superadditum in ipsa generatione vel creatione. Et paulo ante (q. 50. a. 4. ad 1.) expresse etiam docuerat, principale subiectum eiusmodi habituum esse ipsum intellectum possibilem, et sic explicat dictum Aristotelis quod supra invocaverat, scilicet *molles carne bene aptos mente videmus*.

299. *Quaer. III.* — An, praeter impressam, expressa etiam species in intelligendo habeatur?

Ante responsum observa, quae *expressa* nominatur, in aliquo cum *impressa* specie convenire, et in pluribus differre. Ambae in eo conveniunt, quod sint similitudines intentionales quae vices gerunt ipsiusmet obiecti. Differunt vero duplici ratione potissimum. Nam primo quidem species impressa obiecti vices gerit per modum seminis, ut ante dictum est: quocirca ad cognitionem concurret per modum principii. Species expressa e converso in ipso cognoscendi actu relict, quin est proprius et intrinsecus terminus actionis intellectualis, quemadmodum et *verbum*, quod unum idemque est cum specie expressa, ut mox videbimus. Praeterea species impressa ideo sic dicitur, quia in potentia cognoscitiva recipitur, productur vero vel ab ipso obiecto, ut in sensibus, vel a facultate non cognoscitiva, ut est intellectus agens respectu speciei intelligibilis. Quare, ut ante diximus [289] absolute loquendo potest active procedere ab agente extrinseco, ut contingit quando divinitus infunduntur. Species contra expressa est aliquid vitaliter procedens a facultate cognoscitiva, prout cognoscitiva est, ac ideo dicitur *expressa*, quia ab ea exprimitur, et per modum cuiusdam prolis concipitur.

Quare passim a S. Thoma vocatur *conceptio* vel *conceptus*.

His positis, communis responsio ad factam interrogationem est *affirmativa*. Ratio autem ad hoc asserendum duplex est in *doctrina S. Thomae*. En eius verba, quibus simul confirmantur quae modo diximus. " Considerandum est, quod intellectus per speciem (*impressam*) rei formatus, intelligendo format in seipso quamdam intentionem rei intellectae, quae est *ratio ipsius quam significat definitio*. Et hoc quidem necessarium est, eo quod intellectus intelligit indifferenter rem absentem et presentem; in quo cum intellectu imaginatio convenit. Sed intellectus hoc amplius habet, quod etiam intelligit rem, ut separatam a conditionibus materialibus, sine quibus in rerum natura non existit: et hoc non posset esse, nisi intellectus intentionem sibi praedictam formaret. Haec autem intentio intellecta, cum sit quasi terminus intelligibilis operationis, est aliud a specie intelligibili quae facit intellectum in actu, quam oportet considerari ut intelligibilis operationis principium, licet utrumque sit rei intellectae similitudo. Per hoc enim quod species intelligibilis, quae est forma intellectus et intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur quod intellectus intentionem formet illi rei similem: quia quale est innumquodque, talia operatur. Et ex hoc quod intentio intellecta est similis alicui rei, sequitur quod intellectus formando huiusmodi intentionem rem illam intelligit. " (1. *Cont. Gent.* c. 53.)

300. *Quaer. IV.* — Utrum actus intelligendi distinguatur a specie eo expressa, et sine hac possit esse aliquando?

Subtilissima haec quaestio sic mihi videtur resolvenda, salvo meliori.

Respondeo I. Aliqua certe existit distinctio, quantum ad concipiendi et significandi modum. Species enim expressa, in quantum est *species*, dicit immediatum ordinem ad obiectum cuius est similitudo et quasi imago: quare merito adnumeratur inter signa *suppositiva* [*Pr. Ph.* 20, 21.]. Quatenus vero dicitur *expressa*, reali relatione refertur ad facultatem cognoscitivam, per modum cuiusdam prolis ab

ea procedentis, ut dictum est. Contra, actus intelligendi, prout huiusmodi, non est signum obiecti suppositivum, sed pure manifestativum, nec realem relationem originis in sua formali ratione involvit. *Intelligere*, ait Aquinas, *importat solam habitudinem ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae*. (*Summa th.* 1. p. q. 34. a. 1. ad 3.) Et alibi. *Differt* (conceptio intellectus) *ab actione intellectus* (intelligere), quia praedicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam per ipsam constitutum: intellectus enim sua actione format rei definitionem vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. (Qq. *Disp. Pot.* q. 8. a. 1.) Neque officit huic doctrinae, quod ipse actus intelligendi in sua formali ratione sit operatio intrinsece vitalis; de ratione autem talis operationis videatur esse realis relatio originis seu procedentiae a potentia vitali. Ut enim acute observat idem S. Doctor: " Invenimus quaedam quae originem important non secundum rem, sed secundum rationem tantum; sicut hoc nomen *operatio*, quae procul dubio importat aliquid procedens ab operante, tamen iste processus non est nisi secundum rationem tantum: unde operatio in divinis non personaliter, sed essentialiter dicitur; quia in Deo non differt essentia, virtus, et operatio. " (Qq. *Disp. Ver.* q. 4. a. 2.)

Respondeo II. Non videtur tamen ipsa species expressa esse res distincta ab actu intelligendi, sed una eademque res diversimode considerata. Ratio potissima qua moveor ad hoc asserendum, haec est. Ut enim paulo ante dictum est, species expressa est aliquid per se vitaliter procedens ab intellectu. Vita autem, quemadmodum cum S. Thoma ante declaravimus [54], non dicitur nisi dupliciter, videlicet de ipso esse substantiae viventis, et de operatione inde progrediente. Cum itaque manifestum sit, speciem expressam non pertinere ad ipsum esse animae intellectivae, consequens est, ut sit propria operatio huc pertinens, scilicet ipsum intelligere. Hinc S. Thomas hoc modo probat, quod aliud sit esse intellectus nostri, et

aliud esse speciei seu intentionis intellectae. * Cum enim, ait, intellectus noster seipsum intelligit, aliud esse est intellectus et aliud ipsum eius intelligere: substantia enim intellectus erat in potentia intelligens antequam intelligeret actu. Sequitur ergo, quod aliud sit esse intentionis intellectae, et aliud intellectus ipsius, *cum intellectionis intellectae esse sit ipsum intelligi.* (4. *Cont. Gent. c. 11.*) Faciunt etiam in hanc rem testimonia, quibus S. Doctor negat actionem intelligendi terminari ad aliquid factum. * Actio, ait, quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut aedificatio ad domum, et sanatio ad sanitatem: quandoque autem non, *sicut intelligere et sentire.* Et si quidem terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum: *si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem.* (3. *Cont. Gent. c. 2.*)

Respondeo III. Non puto, esse universaliter verum, nunquam dari intellectionem, quin species expressa proprii nominis ea producatur. Ex hac enim generali regula existimo excipiendam esse visionem Dei beatificam, quae procul dubio est verissima operatio intellectualis ab intellectu Beatorum elicta. Ratio quam semper adduxi ad hoc probandum, haec est. Nam munus *speciei* intelligibilis, sive impressa dicatur sive expressa, est repraesentare non utrumque, (hoc quippe convenit etiam virtuti intellectivae qua tali et secundum se), sed per modum *imaginis*. Ratio autem imaginis, si sit propria, eadem est ac ratio eius quod ea repraesentatur. Hinc quicumque eiusmodi speciem proprio et quidditativo conceptu cognosceret, eo ipso haberet conceptum proprium et quidditativum, mediatum licet, eius quod per ipsam repraesentatur. Nihil autem creatum convenit cum esse divino secundum aliquam rationem propriam, sed solum in aliqua ratione analogae: ex quo, ut paulo inferius docebimus, fieri non potest, ut per quaecumque rem creatam deveniatur in conceptum proprium et quidditativum divini esse. Ergo non potest dari ulla species intelligibilis creata quae sit repraesentativa, repraesentatione propria, Dei ut in se est.

Porro visione beatifica Deus nude et clare videtur, ut in se est, seu praesentialiter et facialiter, ut theologi loquuntur. Impossibile est igitur in tali visione species aliqua creata existat. Quare quae S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 12. a. 2.*) adducit ad talem speciem excludendam, aequae procedunt, sive de impressa sive de expressa specie intelliguntur. Desumuntur enim non ex eo quod sit expressa vel impressa, sed ex communi ratione *speciei*, prout huiusmodi, quod nempe sit intentionalis similitudo obiecti; quae ratio magis adhuc proprie convenit expressae, quam impressae speciei. Quare manifestum est, ex mente S. Doctoris utramque excludi debere a visione beatifica.

Dices. Paulo ante concessum fuit [297, III], esse de ratione cuiusque actus intellectualis, ut sit intentionalis quaedam ac vitalis manifestatio obiecti. Atqui talis manifestatio videtur non posse dari sine specie expressa.

Respondeo. *Neg. min.* Nam species expressa est certe et ipsa vitalis manifestatio obiecti, sed per modum signi *suppositivi*, non *pure manifestativi*, ut paulo ante notavimus. Manifestatio autem quae est de ratione communi cuiusque actus intellectivi, praescindit ab eo quod sit per modum signi suppositivi vel pure manifestativi: nec potest primum postulari sine petitione principii.

Instabis. Manifestatio propria actus cuiusque intellectualis consistit in vitali quadam *assimilatione* cognoscentis ad cognitum; et hoc invenitur etiam in ipsa visione beatifica, iuxta illud I. Ioan. III. 2. *Similes ei erimus, quoniam videmus eum, sicuti est.* Atqui haec assimilatio est ipsissima species expressa.

Respondeo. *Neg. min.* In assimilatione duo sunt a primis distinguenda, videlicet ipsa *relatio* similitudinis seu assimilationis, et *proximum fundamentum* seu forma unde innascitur. Species autem expressa in suo formali conceptu dicit fundamentum ipsum seu formam, unde relatio importata in nomine assimilationis resultat. Porro nihil vetat, quominus hoc fundamentum habeatur pro ipsum obiectum, non vero per aliquid eius imaginem, si videlicet sermo sit de re quae ob suam maximam actualitatem

et immaterialitatem evadere possit quasi forma intelligibilis: quo in casu habebitur assimilatio intentionalis quae est de communi ratione intellectionis, citra ullam speciem sine impressam sive expressam. Alqui res ita habet in visione beata, ut late et acutissime ostendit Angelicus (4. *Dist.* 49. q. 2. a. 1.). Quare idem S. Doctor: *Dicendum, ait, quod divina essentia est ipsum esse. Unde sicut abae formae intelligibiles, quae non sunt suam esse, univertur intellectui secundum aliquid esse quo informant ipsam intellectum, et faciunt ipsum in actu; ita divina essentia univertur intellectui creato, ut intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu.* (Summa th. 1. p. q. 12. a. 2. ad 3.)

301. *Quaer. V.* — An et quo pacto ratio verbi conveniat actui intelligendi?

Respondeo. Tametsi verbi appellatio quantum ad impositionem nominis derivatur ab orali locutione, si tamen spectetur id ad quod significandum est imposita, nedum proprie, sed magis proprie adhuc convenit actui intelligendi. Quocirca observa, tria esse quae ex communi naturae sensu tribuuntur orali verbo, prout est eiusmodi. Nam primo quidem concipitur ut aliquid procedens ab ente intelligente, formaliter ut est intelligens. Locutio enim est propria actio intelligentiae: verbum autem est quod locutione profertur. Secundo, verbum in hunc finem directe ab intelligente profertur, ut conceptionem quam de re habet, manifestet intelligenti. Quare S. Thomas (Summa th. 1. p. q. 107. a. 1.): *Nihil est aliud loqui ad alterum quam conceptionem mentis alteri manifestare.* Tertio, verbum in tali manifestatione se habet per modum signi *suppositivi*, quod scilicet locum tenet ipsiusmet rei quae verbo manifestatur. Unde illud Aristotelis (*De Soph. Elench.* c. 1.): *Quod de nominibus valet, etiam de rebus catere putamus, quemadmodum in calculis accidit rationes subducentibus.* Age vero; manifestum est imprimis, ex his tribus, primum et tertium propiissime omnino inveniri in actu intelligendi ratione speciei expressae, immo inde ea derivari ad exteriorem oris locutionem. Praeterea secunda conditio manifeste etiam invenitur, semper ac mens ex praehabitis apprehensio-

nibus vel principiis componendo vel discurrendo enuntiationibus formata; per hoc enim veritatem ipsam, quam veluti in simi praecedentium apprehensionum seu principiorum occulte conceptam tenebat, sibi ipsi patefacit ac manifestat [*Pr. Ph.* 210]. Quod si sermo sit de ipsis primis apprehensionibus simplicibus, etiam in istis, si quis bene consideret, secunda conditio elucet: siquidem expressa species quae in his invenitur, elicitur ex *conceptione habituali*, quae de obiecto habetur mediante specie impressa, quaeque propterea, ut saepe diximus, *semini* comparatur (1). Quare manifestum est, propriam verbi rationem maxime reducere in actu intelligendi.

(1) S. Thomas (Summa th. 1. p. q. 27. a. 1.) dicit, verbum in nobis esse *conceptionem rei intellectae ex eius notitia procedentem*. Id porro minime esse intelligendum de notitia *actuali*, nisi cum sermo est de intellectu componente vel dividente, sed veritatem etiam habere, si sermo sit de notitia *habituali*, per speciem scilicet impressam, manifestum fit ex his quae docet (q. *Disp. Ver.* q. 3. a. 4.), ubi ita eleganter exponit discrimen verbi quod in mente nostra progignitur, a Verbo quod catholica fides credit in divinis. "Verbum enim quod in nobis exprimitur per actualem considerationem, quasi *exortum ex aliqua principiorum consideratione vel saltem cognitione habituali*, non totum in se recipit quod est in eo a quo oritur. Non enim quidquid *habituali* tenemus cognitione, hoc exprimit intellectus in actus verbi conceptione; sed aliquid eius. Similiter in consideratione antius conclusionis non exprimitur totum id quod erit in virtute principii. Sed in Deo, ad hoc quod Verbum eius perfectum sit, oportet quod Verbum eius exprimat quicquid continetur in eo ex quo oritur, et praecipue cum Deo uno intuitu omnia videat, non divisim. Id ipsum videre licet ex his quae habet (4. *Contr. Gent.* c. 11.), ubi fere omnia quae de subtilissimo et sublimissimo hoc argumento dici queant, collecta inveniuntur. Adumbrata autem fuit haec doctrina ab Augustino illis verbis. *Cum incipimus a specie corporis et pervenimus usque ad speciem, quae fit in intuitu cogitantis, quatuor species referuntur, quasi gradatim natae altera ex altera: secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis (h. e. reali) quod *cernitur, exortitur ea quae fit in sensu cernente*, (h. e. intentionalis sensibilis); *et ab hac ea quae fit in memoria*, (h. e. intelligibilis impressa); *et ab hac ea quae fit in actu cogitantis*, (h. e. intelligibilis expressa.) (*De Trinitate*, lib. 11. c. 9.)*

Hinc tria facile inferuntur. Primo, *verbum* differre ab *idea*. Nam *idea* in suo conceptu non dicit relationem originis ab intellectu, sed respectum dumtaxat ad rem cognitam et quidem per modum exemplaris. Verbum contra dicit realem relationem originis a dicente, ac indifferenter accipitur in intellectu sive speculante sive pratico. Secundo, verbum, quantum ad completam sui rationem, non existere in actu intelligendi qui specie expressa non sit formatus. Etsi enim in tali actu existit prima et secunda conditio, tertia tamen deficit. Differentia autem opinionum quae in hac re apud Doctores Scholasticos invenitur, suppositis his quae diximus, mihi videtur potius esse de modo loquendi quam de re ipsa. Tertio, recte distingui verbum *intelligibile, imaginatum, atque orale*, quorum unum ex alio procedit. Additur etiam alia acceptio huius nominis sed impropria. * Sciendum est, ait S. Thomas, quod verbum tripliciter quidem in nobis proprie dicitur; quarto autem modo dicitur improprie, sive figurative. Manifestius autem et communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur: quod quidem ab interiori procedit, quantum ad duo quae in verbo exteriori inveniuntur, scilicet vox ipsa et significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum, secundum Philosophum in lib. 1. Perih. princ.; et iterum vox ex significatione vel imaginatione procedit, ut in lib. 2. de Anima dicitur text. 90. Vox autem quae non est significativa verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quia significat interioris mentis conceptum. Sic igitur primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur: secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa: tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum dicitur... Dicitur autem figurative quarto modo verbum id quod verbo significatur vel efficitur; sicut consuevimus dicere: Hoc est verbum quod dixi tibi, vel quod mandavit rex, demonstrato aliquo facto quod verbo significatum est, vel simpliciter enuntiantis, vel etiam imperantis. (Summa th. 1. p. q. 34. a. 1.)

302. *Quaer. VI.* — Num verbum mentis sit re intellecta?

Respondeo. Haec quaestio, etsi facilis in superficie, gravem tamen difficultatem continet. Nam ex una parte verbum mentis passim appellari solet *intentio intellecta, vel conceptus obiectivus* (1), quibus significatur ipsum se habere per modum rei cognita, non vero dumtaxat ut rationem cognoscendi. Aliunde autem, si hoc concedatur, videtur instaurari famosa quaestio *de ponte*, ut aiunt, quo ex subiecto cognoscente fiat transitus ad res extra nos positas: quae quaestio, si semel serio instituatur, grave periculum oboritur, ne idealistica solutione definiatur. Doctor Angelicus etiam non videtur, prima facie, satis secum ipse cohaerere in re praesenti. Quandoque enim id absolute negat. * Dico intentionem intellectam, ait, id quod in seipso concepit intellectus de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est ipsa res quae intelligitur, neque est ipsa substantia intellectus, sed est quaedam similitudo concepta ab intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant: unde et ipsa intentio verbum interioris nominatur, quod est exteriori verbo significatum. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet, quod *aliud est intelligere rem et aliud est intelligere ipsum intentionem intellectam, quod intellectus facit dum super suum opus reflectitur*; unde et aliae scientiae sunt de rebus, et aliae de intentionibus intellectus. (4. Cont. Gent. c. 11.) Alibi vero idem S. Doctor absolute id affirmare videtur. * Hoc, ait, est primo et per se intellectum, quod intellectus in seipso concepit de re intellecta, sive illud sit definitio, sive aliqua enuntiatio... Hoc autem sic ab intellectu conceptum dicitur verbum interioris: hoc enim est quod significatur per vocem: non enim vox exterior signi-

(1) Verbum mentale, de quo S. Thomas, minime differre a conceptu qui *obiectivus* dici solet, satis patere potest ex testimoniis S. Doctoris quae iam dedimus et ulterius etiam dabimus. Nempe verbum mentale est illud quod primo et per se significatur a verbo oris. Atqui hoc primo et directe significat conceptum obiectivum. [Pr. Ph. 22.]

ficiat ipsum intellectum, aut formam ipsius intelligibilem, aut ipsum intelligere, sed conceptum intellectus, quo mediante significat rem, ut cum dico homo, vel homo est animal. » (Qq. Disp. Pot. q. 9. a. 5.) Quandoque etiam idem affirmat et negat, alia et alia ratione. * Dicendum, ait, quod conceptio intellectus est media inter intellectum et rem intellectam, quia ea mediante operatio intellectus pergitur ad rem; et ideo *conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur; ut sic id quod intelligitur, possit dici et res ipsa et conceptio intellectus*; et similiter id quod dicitur et res quae dicitur per verbum, et verbum ipsum: ut etiam in verbo exteriori patet, quia et ipsum nomen dicitur, et res significata per nomen dicitur ipso nomine. » (Qq. Disp. Ver. q. 4. a. 2. ad 3.)

Equidem censeo, ut haec omnia simul componantur, sive inter se, sive cum veritate, rem praesentem sic declarari oportere. Nimirum haberi debet prae oculis principium quo utuntur theologi cum S. Thoma (*Summa th. 3. p. q. 25. a. 3.*), cum questionem agitant de cultu et veneratione sacrarum Imaginum. * Dicendum, ait Angelicus, quod sicut Philosophus dicit in lib. de Memoria et Reminiscentia, c. 2. circ. med., duplex est motus animae in imaginem. Unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quaedam est; alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius. Et inter hos duos motus est haec differentia, quia *primus motus quo quis moretur in imaginem, ut est res quaedam, est alius a motu qui est in rem; secundus autem motus qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem...* Et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo. Ex hoc principio haec infero. Primo: cum verbum mentis, reduplicative ut verbum, respectu intellectus non se habeat, nisi ut imago in nullo excedens id quod ea repraesentatur, perinde est intelligere illud ac rem ipsam intelligere quae in ea et per eam repraesentatur: et hoc modo bene dicitur verbum interius esse intentio intellecta, immo etiam *primo et per se intellectum*, ut supra

aiebat S. Thomas, quippe res ipsa intelligitur pro eo quantum ante oculos mentis sisfitur in eius verbo. Secundo: si verbum spectetur ut res quaedam, prout scilicet est subjectiva modificatio, eiusque proprius modus essendi spiritualiter in ipso intellectu, minime se habere potest ut quid intellectum, nisi per reflexionem; et sic est etiam verissime dictum a S. Thoma II. cit., verbum non esse rem directe intellectam, sed aliquid dumtaxat quo res intelligitur. Quare, rem ita considerando, ut ante aiebat S. Thomas, alius est motus mentis in rem ipsam, alius vero in verbum; nam prior est directus, posterior reflexus. Tertio: nullum est idealismi periculum, si res ita explicetur. Ad intellectum enim per se pertinet, ut intellectus est, intimam et quidditativam rationem penetrare eorum quae ei manifestantur. Atqui una eademque est quidditativa ratio, puta humanitatis, sive spectetur in re extra mentem posita, sive in verbo interiori mentis, reduplicative ut est intelligibilis eius imago, cum differant dumtaxat secundum diversum modum essendi. Ergo res ipsa extra mentem posita verissime intelligitur, intellecta eius quidditativa ratione in verbo relucente. Quarto: verbum, ut vices gerit ipsius rei, est quidem eius signum *suppositivum*, ut dictum est, sed *formale*, et in hoc differt a verbo exteriori. In signo enim *obiectivo*, ut sunt verba exteriora, prius natura intelligi debet res quae est signum, conceptu quodam absoluto et prout in se est; dein vero ut est repraesentativa alterius: nihil autem huiusmodi est in verbo mentis, in prima scilicet et directa mentis operatione. Atque haec dicenda existimavi in re adeo salebrosa: quae tamen sapientiorum iudicio penitus committo.

303. *Quaer. VII.* — An in parte sensitiva detur species expressa aut verbum?

Respondeo. Quod *imaginationem* spectat, saltem in componendo aut dividendo diversa phantasmata a sensibus accepta, datur aliquid proportionaliter simile speciei expressae quae habetur in intellectu. Non tamen solet dici *verbum*; locutio enim, ut supra dictum est, est propria actio entis intellectualis. Quoad ceteros vero sensus, utrum-

que negare oportet, nisi quis haec nomina valde aequivoce velit accipere. Ratio est, quia in his, etsi eorum operatio est proprie et intrinsece vitalis, ac propterea a principio intrinseco procedens, *quatenus tamen haec operatio spectatur ut representativa seu species*, tota quanta est ab objecto extrinseco formatur immediate et sub hoc respectu facultas sensitiva passive se habet, quod ipsum nomen *sensationis* praesefert. Nequit proinde appellari species *expressa*, multoque minus *conceptio* seu *verbum*. Atque haec est etiam constans doctrina Aquinatis. * Dicendum, ait, quod in parte sensitiva invenitur duplex operatio: una secundum solam immutationem, et sic perficitur operatio sensus per hoc quod immutatur a sensibili. Alia operatio est formatio, secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis, vel etiam numquam visae. Et utraque haec operatio coniungitur in intellectu. Nam primo quidem consideratur passio intellectus possibilis, secundum quod informatur specie intelligibili. Qua informatus format secundo vel definitionem, vel divisionem, vel compositionem, quae per voces significatur. Unde ratio quam significat nomen est definitio: et enuntiatio significat compositionem vel divisionem intellectus. » (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 2. ad 3.) Et alibi. * Cognitionis sensus est a sensibili; unde per formam, quae sibi a sensibili imprimitur, sentit: *non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem; hoc autem facit eis imaginativa, cuius formae quadammodo simile est verbum intellectus.* » (*Quolib.* 5. a. 9. ad 2.) Conf. testimonium S. Doctoris ante exscriptum [291, nota]. Ex quo luceclenter apparet ulterius quod in q. iv. docuimus, non esse universaliter verum, quod a multis passim dici solet, ad formalem conceptum cognitionis, ut cognitio est, pertinere, ut specie aliqua expressa constet: quare necessitatem speciei expresse intellectualis in q. iii. aliunde demonstravimus cum S. Thoma.

SECTIO VIII.

Intellectionum genera complura recensentur et declarantur.

304. **Cognitio immediata.** — Multa iam in Logica declaravimus de diversis intellectionum modis ac speciebus. Hic solum aliqua addemus quae ibi ommissa fuerunt, quaeque ad penitorem explicationem naturae cuiusque actus intellectualis apprimè faciunt. Primo igitur explicare oportet, quid requiratur ac sufficiat, ut actus intellectualis cognitio dicatur, vere et proprie, *immediata* alicuius obiecti. Ad hoc vero intelligendum in memoriam revoca triplex *medium*, quod ante recensuimus ex S. Thoma [273, obiect. II]: ubi etiam notavimus, tertium medium duntaxat, videlicet *in quo*, excludi debere, ut cognitio existat *immediata*. Haec ideo tunc habetur, cum res ipsa in se et secundum se cognoscitur, non vero in alia re quae ut cognita ducit in cognitionem prioris. Discremen utriusque cognitionis, mediatæ scilicet et immediatæ, cernere licet in cognitione alicuius effectus. Mediatè dicitur cognosci ab eo qui penetrando virtutem causae efficientis consequenter agnoscit ad quod eius efficacia terminetur vel terminari queat: e converso, cognitio habebitur immediata ipsius effectus, si ipse sit proxima ratio obiectiva cui cognoscatur. Quare in cognitione mediatæ semper intervenire debent duae res cognitæ, quarum una ideo cognoscitur quia noscitur altera, ob connexionem scilicet qua colligantur invicem, puta ut causae vel effectus. Hic vero observa diligenter, hanc cognitionem unius rei in altera dupliciter existere posse. Uno modo per viam discursus, quatenus cognitio unius rei antecedit et causat cognitionem alterius, quemadmodum efficitur in ratiocinio quo ex cognito effectu devenitur in cognitionem causae, vel e converso. Alio modo per simplicem intuitum, quatenus uno eodemque actu intelligitur

unum simul cointelligendo alterum ob connexionem obiectivam quam hoc habet cum priori: ut videre licet in cognitione qua Deus in sua virtute cognoscit possibilia omnia. Hinc merito distingui potest duplex cognitio mediata, *obiective* scilicet vel *formaliter*, prout discursum excludit vel includit.

Dices. Si haec ita habent, semper ac intervenit in cognitione verbum mentale, cognitio mediata tantum habebitur rei quae in verbo cognoscitur, quandoquidem, ut supra concessum fuit [302], verbum se habet ut intentio quaedam *intellecta*. Id porro adversatur communi naturae sensui.

Respondeo. *Neg. antec.*, vel potius *dist.* In cognitione reflexa, *conc.*; in cognitione directa, *neg.* Ut l. c. monuimus, etsi in cognitione etiam directa verbum existat ut intentio quaedam intellecta, minime tamen a mente accipitur ut quid distinctum a re ipsa quae eo cognoscitur: ut enim ibidem ex Aristotele et D. Thoma retulimus, *idem est motus in imagine, et rem cuius est imago*. Contra, in cognitione reflexa verbum accipitur per modum eiusdem rei, attendendo scilicet ad modum essendi quem intentio intellecta seu verbum nanciscitur in ipso intellectu. Tunc itaque alius est motus mentis in verbum, et alius in rem quae eo representatur, ac propterea haec mediate in illo cognoscitur. Quocirca verbum mentale in priori casu se habet ut signum *formale*, in altero ut signum *obiectivum* (1).

305. **Cognitio propria, analogica.** — Conceptus *proprius* alicuius rei dicitur dupliciter. Primo, ut contradistinguitur a conceptu *communi*, atque adeo ille est qui

(1) * Non discernere enim inter obiectum, ut rem, et obiectum, ut rei imaginem ut sic, causa erroris est. Discernentes autem haec, et attendentes duabus praefatis conditionibus conceptus, scilicet quod est res, et quod est imago, utendo illa propositione Aristot. in de Memoria et Reminiscencia: *Idem est motus in imagine et rem cuius est imago*; facile omnia solvunt et interpretantur, qua ratione dicitur, quod verbum est obiectum, etc. . CALETANUS (*Summa th. l. p. q. 27. a. 1.*)

in una re sic veritatem habet, ut non habeat in altera. Secundo ac potissimum ita nominatur *qui directe et positive representat rem, prout est in se*. Huic opponitur conceptus *analogus*, qui propterea duobus modis praesertim habetur. Primo modo in conceptibus communibus, quorum ratio obiectiva diversimode invenitur in pluribus, ex. gr. in uno absolute, et in altero per participationem. Ita res habet in conceptibus transcendentes, iisque omnibus qui sine metaphora tribuuntur Deo et creaturis. Alio modo, quando una res cognoscitur per conceptum alterius. Id porro multifariam etiam existit. Imprimis videlicet concipiendo rem quampiam conceptu aliquo rebus aliis communi, addendo simul negationem aliquam vi cuius ad rem determinatam coarctetur. Sic concipimus ex. gr. praesentiam rei spiritualis in loco, ac attributa Dei negativa. Deinde id etiam habetur, si res concipiatur per habitudinem ad effectus ipsius, *qui tamen eius virtutem non adaequant*. Hoc postremum idcirco addimus, quia nihil prohibet, quominus per conceptum causae habeatur proprius conceptus effectus, vel vicissim proprius habeatur conceptus causae per cognitionem effectus virtutem ipsius adaequantis, ut subtiliter observavit Angelicus (*Summa th. l. p. q. 12. a. 12., q. 14. a. 5, 6.*). Denique analogice dicitur res aliqua concipi, quotiescumque cognoscitur per modum eiusdem similitudinis proportionalitatis non univocae; ut v. gr. cum dicimus rem aliquam posse praestare altiori modo quod praestari videmus ab alia re.

306. **Cognitio quidditativa.** — Cognitio propria quandoque evadit etiam *quidditativa*. * Potest autem, scite observat Suarez, acquivoco sumi nomen quidditativae cognitionis. Nam uno modo potest quidditativa dici cognitio, qua de re cognoscitur *quid sit*, concipiendo aliquod praedicatum quidditativum eius, non tantum ut commune, sed etiam ut proprium, sive concipiatur per positivam rationem seu representationem, sive per negationem. Alio modo dicitur quidditativa cognitio illa, per quam cognoscuntur de re omnia quidditativa praedicata usque ad differentiam vel quasi differentiam ultimam, eam concipiendo proprio et

positivo conceptu. (Metaph. D. 30. sect. 12. n. 5.) Posteriorem hanc acceptionem adhibet S. Thomas sic inquires. *Tunc intellectus dicitur scire de aliquo quid est, quando definit ipsum, id est, quando concipit aliquam formam de ipsa re, quae per omnia ipsi rei respondeat.* (Super Boëth. De Trinit. q. 6. a. 3.) Iam age, hoc secundo modo quidditativa cognitio sumi debet, propria et specifica huius vocis significatione. Sic itaque describi poterit: *Notitia qua rei quidditas integra, h. e. usque ad ultimum praedicatum constitutum, exprimitur, et quidem expressione obiecto proportionata, h. e. ita ut si praedicata singula, differentialia praesertim, sint absoluta vel respectiva, positiva vel negativa, eodem prorsus modo quo in se sunt, intellectui repraesententur.*

Ex hac descriptione manifestum fit, notitiam quoque praedicatum attingentem rei proprium, et cum ea convertibile, non uno titulo deficere posse a cognitione rei quidditativa. Sic primo, minime quidditativa est cognitio qua praedicatum proprium et absolutum repraesentatur sub quadam habitudine: ex. gr. cum Deus exprimitur sub nomine primae Causae. Secundo, minime censi potest quidditativa notitia qua negative repraesentetur menti praedicatum proprium in se positivum. Exemplo sit conceptus *Entis a se*, quo Deum concipimus: siquidem perfectio quae tali conceptu exprimitur, in se quidem est maxime positiva, a nobis tamen non concipitur nisi per negationem abalienationis seu dependentiae. Deficit tertio a ratione cognitionis quidditativae ea notitia, quae proprium ac differentiale praedicatum, quod est in se unum et simplex, a nobis complexione plurium significatur, quae seorsum in aliis dissimili ratione conspiciuntur. Hoc modo concipimus Deum, ut *intelligentem*: quando enim id dicimus, distinguimus praedicata *principii et operationis*, quae in creaturis sunt distincta, adeoque longe distantia ab iisdem, prout in Deo inveniuntur.

307. **Cognitio comprehensiva.** — Hoc aliud genus cognitionis intellectualis specialem meretur considerationem ab iis potissimum, qui rei theologiae operam sunt daturi. Nihil vero amplius hac in re desiderari potest, quam quod

Angelicus tradit (4. Dist. 49. q. 2. a. 3, 4, 5). Est itaque cognitio comprehensiva, quae, in ratione cognitionis, adaequat tum intensivae tum extensivae intrinsecam obiecti cognoscibilitatem.

Dicitur 1^o *Cognitio adaequans*. Ut enim optime inquit S. Thomas: * *Comprehendere dicitur quasi simul prehendere, id est, capere; et ideo illud proprie comprehenditur quod simul capitur, id est, cum omnibus quae eius sunt. Unde oportet, quod omne comprehensum includatur in comprehendente. Includitur autem proprie contentum in continente; et ideo oportet comprehensum contineri in comprehendente. Sicut autem dicitur corporaliter aliquid in altero contineri, quia non excedit continens ex ulla parte secundum quantitatem dimensionum, ut vinum in dolio; ita dicitur aliquid contineri ab aliquo spiritualiter, quod substat virtuti eius et in nullo excedit ipsum; et ideo tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendendi, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivae, et non excedit ipsam.* (loc. cit. a. 3.)

Dicitur 2^o in *ratione cognitionis*. Dupliciter nempe cognitio spectari potest, videlicet in *esse rei*, ut dici solet, sive ontologicae, et secundum *proprium et formalem rationem cognitionis*, sive repraesentativae. Iam vero aequalitas seu adaequatio, quae proxime et per se exigitur inter cognitionem comprehensivam et obiectum cognitum, accipi debet, non primo, sed altero modo. Est enim comprehensio de qua loquimur, perfectio cognitionis, ut cognitio est. Ceterum nihil vetat quandoque, una aequalitas seu adaequatio ex altera inferatur. Sic ex. gr. ex eo quod actus quo Deus a creatura cognosci potest, finitae semper perfectionis sit oportet, legitime colligitur, Deum a nulla creatura comprehendi posse; etsi aliud significatur cum dicitur actus esse finitus, aliud vero non comprehensivus.

Dicitur 3^o *tum extensivae tum intensivae*. Quo pacto id intelligere oporteat, iam ante explicatum dedimus [298]: ubi etiam notavimus, saepe numero fieri, ut intensiva imperfectio cognitionis quae de virtute causae habetur, tamquam a signo declaretur ex eo quod cognitio non se extendat

ad cognoscenda omnia quae in virtute causae continentur. Quare optime Suarez, loquens de diversis gradibus perfectionis qua Beati in caelo regnantes Deum vident; * Ceteris paribus, ait, eo perfectius videri Deum, quo plures vel meliores creaturae videntur in Deo. Non quia haec sit ratio a priori melius videndi Deum, sed potius quia a posteriori et ab effectu colligimus, eo causam perfectius videri, quo plura et meliora in ea videntur, ceteris paribus, quia hoc est signum, virtutem eius perfectius penetrari et cognosci. (De Deo, lib. 2, c. 26, n. 24.) Ideo solent theologi ad cognitionem Dei comprehensivam postulare, ut Deus tam perfecte cognoscatur, quod in eo videantur omnia quaecumque in ipso sunt sive formaliter sive eminenter. Confer Card. Franzelin (De Deo Uno, th. xviii.).

Dicitur 4^o *intrinsecam obiecti cognoscibilitatem*, eam scilicet quae commensuratur propriae perfectioni rei cognoscendae. Quocirca minime postulatur per se ad rationem cognitionis comprehensivae, ut res cognoscatur cognitione qua nulla melior absolute de ea haberi possit, vel quae sit eiusmodi ut ea cognoscantur respectus omnes ad extrinseca quae in illa re fieri aut recipi possunt, non ex et in ordine suae naturae, sed obedientialiter duntaxat ad agens extrinsecum. Secus enim nec musca posset ab Angelo comprehendere, adeoque praerogativa incomprehensibilitatis, quam divinae Litterae et Ecclesiae Patres Deo adiudicant respectu cuiusvis intellectus creati, competere etiam rebus vilissimis, quod procul dubio satis risibile videtur. Ratio a priori est, quia cognoscibilitas haec mere extrinseca non est proprie cognoscibilitas ipsiusmet rei; unumquodque enim cognoscibile per se est secundum veritatem sibi intrinsecam: sed est perfectio et proprietas alterius rei. Et ut sistamus in exemplo allato, cognitio certe quam habet Deus de musca, est perfectior cognitione qua cognoscitur ab Angelo: hic tamen excessus est secundum exigentiam divini intellectus, non autem secundum exigentiam ontologicae veritatis quam musca sibi vindicat. Similiter cognoscere omnia omnino ad quae musca est in potentia *obedientialiter* respectu omnipotentiae divinae, exigitur quidem

ad comprehensionem virtutis divinae, non vero ut ipsa musca comprehendatur: siquidem potentia obedientialis quae rebus creatis inesse dicitur, commensuratur non entitati creaturae, sed virtuti divinae. [Pr. Ph. 564.]

308. *Cognitio intuitiva.* — Quid sit proprie rem aliquam *intueri* seu *videre*; haec enim duo, in rigore loquendo, promiscue accipiuntur: non potest melius declarari quam ex consideratione intuitionis quae est in sensu visus, eum inde haec nomina sint accepta. Duo autem elucet in tali intuitione. Primo videlicet ea terminatur, immediate quidem, ad rem prout est in exercitio suae actualis existentiae; dein vero ab immediata praesentia huius ipsius existentiae movetur ac determinatur potentia visiva ad eam suo modo iudicandam. Quare S. Thomas. *Illam videri dicuntur quae per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem.* (Summa th. 2, 2^{ae} p. q. 1, a. 4.) Sit itaque cognitio intuitiva, quae res facultati cognoscitivae immediate obicitur ut in se est praesentialiter existens. Egregie hanc rem declaravit I. B. De Benedictis. * Servato, ait, quoad licet rigore loquendi communi a Doctoribus usurpato, intuitivam notitiam iudicativam, (simplex enim intuitiva non reperitur nisi in sensu exteriori, estque ea quae intuitivam complexam determinat), eam dico qua iudicamus existentiam obiecti exercitum pro aliqua temporis differentia, ita ut motivum seu ratio ita iudicandi non sit quid distinctum ab exercitio ipso existendi quod est in obiecto, et experimentaliter notitia quae est in potentia; quare si intuens interrogetur, cur iudicet obiectum esse, non aliud in rationem afferat, quam esse ipsum obiectum... Et hoc est quod vulgo dicunt, intuitionem esse ad existens ac praesens, quae tale. Quod quidem intelligi non potest de quacumque notitia, etiam evidenti, existentiae ac praesentiae. Nam scimus evidenter, Deum existere, ac praesentem nobis esse; nec tamen ipsum intuemur. Scit astronomus, ex nota combinatione motuum planetarum, praesentem eclipsim videre etiam cubiculo clausus; neque propterea eclipsim videre eatems dicitur. Sensus ergo est, quod intuitio sit ad existens ac praesens, quae tale: quia haec ipsa existentia, et prae-

sentia, non est solum res indicata, sed etiam ratio iudicandi. Hinc differt a vidente sciens, quod hic aliunde ad iudicandum movetur, quam a re ipsa, qua existente. (Philos. Peripat. to. 3. lib. 4. q. 5. c. 4.)

Ex hac declaratione duo facile patent. Primo: omnem quidem cognitionem intuitivam esse immediatam, sed non omnem immediatam cognitionem esse intuitivam: ut patet in principis ordinis idealis, et in maximis per se probabilibus. Similiter non omnis cognitio intuitiva est comprehensiva, nec vicissim. Secundo: dum existentia obiecti dicitur motivum cognitionis intuitivae, id non intelligi universaliter de motivo exerente physicam causalitatem in cognitionem. Sic enim amandanda esset a Deo scientia visionis respectu creaturarum. Sub hoc nomine proinde venit ratio affirmandi: haec enim in suo conceptu causalitatem physicam non importat. Quare interroganti, cur Deus affirmet Petri peccatum, respondemus cum S. Thoma (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 13.), quia Petrus peccat.

309. **Cognitio abstractiva.** — Ex hactenus declaratis, quid nomine cognitionis *abstractivae* intelligatur, manifeste conficitur, et multiplici aequivocationi, quae saepenumero usuenit, occluditur via. Ex vi vocis proinde notitia abstractiva vocatur propterea quia abstrahit seu prescindit ac quasi dividit. Hinc pro diverso abstractionis modo quam exeret, recensitis cognitionum generibus, alia et alia ratione, opponi consuevit.

Imprimis igitur abstractiva vocatur, quae rem considerat abstrahendo ab existentia exercita, tamquam a re affirmata simul et motivo affirmandi. Hoc modo *intuitivae* opponitur, nec in suo generali conceptu imperfectionem involvit. Eiusmodi est cognitio etiam divina de creaturis pure possibilibus, quae propterea distinguitur a scientia divina visionis. Sic etiam abstractiva est cognitio quam in praesenti vita habemus de Dei existentia.

Quandoque etiam eiusmodi cognitio opponitur *comprehensivae*, pro eo quantum unum sine alio eiusdem rei praedicato, aut omnia rei praedicata non ita perfecte, ut exigit obiectum, repraesentantur. Hoc altero sensu nihil

vetat, cognitio intuitiva dicitur abstractiva. Exemplo sit cognitio qua existentiam nostrae animae eiusque operationum apprehendimus: est siquidem maxime intuitiva, sed a comprehensiva notitia longissime distans.

Tertio dicitur abstractiva, si ea considerentur praedicata communia, non differentialia, vel haec quidem, sed non modo rei exigentiae proportionato. Sic accepta, manifeste opponitur cognitioni *quidditativae*: et eiusmodi est omnis cognitio quae de divinis perfectionibus haberi potest, quamdiu hanc vitam vivimus, ut paulo inferius ex professo declarabimus.

310. **Cognitio reflexa. Diversa ipsius genera.** — Postremo memoranda est ea quae *reflexa* appellatur cognitio, cum propria maxime sit facultatis immaterialis. Generatim porro nomine *reflexionis* venit reductus aliquis cognoscentis aut volentis in priorem cognitionem seu volitionem. Quare ea pertinet tum ad intellectum tum ad voluntatem: quemadmodum enim intelligimus nos intelligere, sic etiam volumus nos velle. Hic vero eam tantum consideramus quae ad intellectum spectat. Haec potest esse *spontanea* et *deliberata*, prout intellectus in suos proprios actus redit vel ipso suae naturae pondere citra voluntatis influxum, vel ex voluntatis imperio. Patet autem, hunc alterum reflexionis modum supponere priorem. Non enim voluntas applicare potest intellectum ad suorum actuum considerationem vel etiam illum ab hac consideratione avocare, nisi praecedat cognitio huius considerationis, quae cognitio profecto est reflexa; non enim voluntas fertur in incognitum. Quod si haec reflexa cognitio et ipsa dicitur deliberata, necessario sistendum erit in aliqua quae eiusmodi non sit, sed mere spontanea; secus dabitur processus in infinitum.

Tria universim sunt reflexionum genera. Alia dicitur *ontologica*, alia *logica*, alia *psychologica*. Cum enim intellectus redit in priorem suam cognitionem, puta *hominis*, tripliciter id praestare potest. Primo quidem potest considerationis suae aciem figere in ipsam praeterea intelligibilem per se spectatam quae priori actu apprehende-

batur, ex. gr. in quidditativam rationem *humanitatis*. Per se spectatum dixi, h. e. praescindendo a modo essendi, puta immaterialitatis vel abstractionis, quem sortitur in intellectu. Haec merito appellatur *recogitatio*, eaque maxime deservit ad scientificam rerum intelligentiam aucupandam. Secundo potest mens respicere praedictam intelligibilem rationem simul attendendo ad modum essendi quem sortita est in intellectu, universalitatis exempligratia. Ex hac altera reflexione prodit hoc iudicium, *Homo est species*, aliaque his gemina. Talis reflexio merito proinde *logica* appellari potest, tum quia per ipsam respicitur ad modum essendi logicum seu intelligibilem quem res accipiunt in intellectu, tum quia Logicae considerationis est. Potest denique mens in praeviam suam cogitationem reverti, quatenus considerat ipsum actum cogitationis, ut scilicet subiectiva affectio est: et tunc reflexio existit *psychologica*; facta siquidem interiora animi tali reflexioni subiciuntur. Haec postrema est ea quae *scientia* communiter appellatur, ac trifariam rursus ab Angelico distinguitur secundum triplicem scientiae applicationem quae ea fit ad aliquem actum. * Uno modo, secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse, secundum illud Eccle. vii. 23. *Scit conscientia tua, te cerebro maledixisse aliis*. Et secundum hoc conscientia dicitur testificari. Alio modo applicatur, secundum quod per nostram conscientiam iudicamus aliquid esse faciendum vel non faciendum: et secundum hoc dicitur conscientia ligare vel instigare. Tertio modo applicatur, secundum quod per conscientiam iudicamus, quod aliquid quod est factum, sit bene factum, vel non bene factum: et secundum hoc conscientia dicitur excusare vel accusare, seu remordere. (Summa th. 1. p. q. 79. a. 13.)

311. **Utrum existant intellectiones inconscientes.** — Hae autem merito quaeri potest, an semper ac intellectus in actum aliquem prorumpit, de eo conscientiam habeat. In hac re tria dicenda existimo.

I. Nulla ratione id ita affirmari potest, quasi actus intellectiois identificetur cum actu conscientiae quae de

eo habetur, sic nimirum ut uno eodemque actu intelligamus obiectum, et intelligamus nos intelligere illud. Ad rem S. Thomas. * Ipsum intelligere humanum non est actus et perfectio naturae intellectae, ut sic possit uno actu intelligi natura rei materialis et ipsum intelligere, sicut uno actu intelligitur res cum sua perfectione. Unde alius est actus quo intellectus intelligit lapidem, et alius est actus quo intelligit se intelligere lapidem, et sic deinde. (Summa th. 1. p. q. 87. a. 3. ad 2.)

II. Falsum etiam est, de omni omnino actu intelligendi affirmare eum esse inseparabilem ab actu conscientiae. Sequeretur enim manifestum inconveniens. Ut enim modo ostensum est, alius est actus quo mens intelligit rem et alius quo de hoc actu fit conscia. Ergo ex eadem ratione alius est hic quasi primus conscientiae actus, et alius quo per secundam reflexionem de eo efficimur conscii. Si itaque nullus est actus intelligendi de quo conscientia non habetur, semper ac intelligimus aliquid, infinitae existere deberent reflexiones psychologicae, quod manifeste absurdum est, nedum risibile. Nec dicatur, quod etiam in nostra sententia simile inconveniens videatur admitti: reflexiones quippe istiusmodi possunt certe multiplicari in infinitum. Disparitas enim manifesta est. Nam aliud est, aliquid multiplicari *posse in infinitum*, aliud vero *de facto esse* ita multiplicatum. Apposite rursus S. Thomas. * Cum actus distinguantur per obiecta, oportet dicere diversos actus qui terminantur ad obiecta diversa. Unde, sicut sunt diversi actus quibus intellectus intelligit equum et hominem, ita sunt diversi actus numero, quo intelligit equum et quo intelligit actum illum sub ratione actus. *Nec est inconveniens, quod in actibus animae eatur in infinitum in potentia, dummodo actus non sint infiniti in actu.* (1. Dist. 17. q. 1. a. 5. ad 4.)

III. Concedi potest cum Suarez, proprium esse omnium actuum intentionalium, cognoscitivos scilicet et appetitivos, ut per seipso *exerceat* quodammodo dicantur cognoscere dum eliciuntur, quatenus scilicet suo ipso exercitio experimentaliter evadant animae praesentes. En verba Eximii Doctoris.

* Notandum est, quod actus cognoscendi dupliciter potest cognosci. Uno modo proprie tamquam obiectum alterius actus, cognoscendo videlicet ipsam cognitionem. Alio modo minus proprie cognosci dici potest actus quasi in actu exercito, non per alium actum, sed per ipsummet. Nam quia visio, verbi gratia, est vitalis actio cognoscitiva, ideo per illam formaliter in actu exercito videmus nos videre, *non autem quia reflexionem formalem faciamus, sed virtualiter quasi dum actu videmus experiendo nos videre.* (De Anima, lib. 3. c. 11. n. 1.) Atque hanc doctrinam eo lubentius admittimus, quia sic congrua ratio redditur, cur recordemur eorum etiam actuum, quorum expressam conscientiam minime habuimus, dum eos eliceremus. Quandoquidem difficile intellectu erit istiusmodi memoria, nisi dicantur praedicti actus, inconstantes licet, quemdam quasi sui sensum experimentalem suo ipso exercitio in anima fecisse. Confer quae ante diximus [256, I].

SECTIO IX.

De iudicio intellectuali.

312. **Diversa nomina quibus haec operatio designatur.** — Haec est potissima intellectualis operatio, qua et ipsa cognitionis ratio quasi absolvitur, et veritas non solum in mente habetur sed manifestatur etiam. Huius rei gratia, specialem tractatum instituumus, cum praesertim non modica difficultas existat in huius operationis propria natura probe intelligenda.

I. Exordientes igitur a nominibus quibus hanc operationem designare solemus, prima et communiore appellatione vocatur *iudicium*. Iudicare autem nihil aliud est, quam pro altera parte contradictionis sententiam ferre: ac dupliciter dicitur. * Iudicare de aliquo, ait S. Thomas, potest intelligi dupliciter. Uno modo, sicut vis cognitiva

diiudicat de proprio obiecto... Et secundum istum modum Philosophus dicit (lib. 1. *Ethic.* c. 3.) quod *unusquisque bene diiudicat quae cognoscit*, iudicando scilicet, an sit verum quod proponitur. Alio modo secundum quod superior iudicat de inferiori quodam practico iudicio, an scilicet ita debeat esse vel non ita. (Summa th. 2. 2^{ae} q. 93. a. 2. ad 3.) Patet autem, iudicium de quo loquimur, priori sensu accipi debere. Ceterum magna existit proportionalitatis analogia inter hanc et posteriorem acceptionem. Nimirum sedet intellectus diiudicans, quasi arbiter, inter duplicem contradictionis partem et motiva utriusque, ut ius ad veritatem dicat et pronuntiet unius prae alia. Quamvis enim non semper iudicat inter opposita motiva, quasi praecedentem dubitationem dirimendo, hoc non tollit, quoniam nomen fuerit impositum ex eo quod plerumque contingit.

II. Appellatur etiam *mentalis enuntiatio*. Est enim enuntiare id ipsum quod mente aut voce dicere rem ita esse vel non esse. Enuntiatio proinde est dictio verum vel falsum significans [Pr. Ph. 110, 121]: nec differt a iudicio, nisi forte sicut verbum mentale seu species expressa differt, uti diximus, ab actione intelligendi [300].

III. Cum sententia mentis proferatur inter duplicem contradictionis partem, hinc diversa alia nomina subit haec operatio secundum quod mens pronuntiat rem esse, vel non esse. Si enim mente dicatur, rem ita esse, iudicium appellatur *affirmatio*, vel *assensus*, aut *adhaesio*: contra, si mente pronuntietur, rem non esse, iudicium appellatur *negatio* vel *dissensus*. Quae nomina id ipsum significant in intellectu, quod *prosequutio* et *fuga* in appetitu. Unde Aristoteles: *Est autem id in appetitu prosecutio et fuga, quod est in mente affirmatio et negatio*. In quae verba Angelicus. * Intellectus, ait, in iudicando habet duos actus, scilicet affirmationem qua assentit vero, et negationem qua dissentit a falso: quibus duobus respondent duo proportionaliter in vi appetitiva, prosecutio qua tendit in bonum et inhaeret ei, et fuga quae recedit a malo et dissentit ei. (6. *Ethic.* lect. 2.)

IV. Denique si sermo sit de iudicio humanae mentis,

quandoque univēse appellatur *compositio*, scilicet mentalis, quandoque vero disiunctim *compositio* vel *divisio*. Huius diversitatis rationem hanc accipe a sancto Thoma. * Cum conceptiones, ait, intellectus sint similitudines rerum, ea quae circa intellectum sunt dupliciter considerari et nominari possunt: uno modo secundum se, alio modo secundum rationes rerum quarum sunt similitudines. Sicut imago Herculis secundum se dicitur et est cuprum: in quantum autem est similitudo Herculis nominatur homo (1). Sic etiam si consideremus ea, quae sunt circa intellectum, secundum se, semper est *compositio*, ubi est veritas vel falsitas: quae numquam invenitur in intellectu nisi per hoc, quod intellectus comparat unum simplicem conceptum alteri. Sed si referatur ad rem, quandoque dicitur *compositio*, quandoque dicitur *divisio*. Compositio quidem, quando intellectus comparat unum conceptum alteri, quasi apprehendens coniunctionem aut identitatem rerum quarum sunt conceptiones; divisio autem, quando sic comparat unum conceptum alteri, ut apprehendat res esse diversas. , (1. *Periher.* lect. 3.) Haec tamen melius intelligentur ex his quae mox dicturi sumus.

313. *Quaestio resolvenda.* — Iam age, dari in mente nostra operationem sic descriptam et nominatam, immediato conscientiae testimonio cuique fit indubium. Maxime tamen controversum est, sive apud veteres, sive apud recentiores, in quo tandem reponenda sit natura islius operationis, seu quid rei sit illud quod eam a simplici mentis operatione secernat. Potissima vero difficultas inde nascitur, quod non solum extrema integri alicuius enuntiabilis, subiectum scilicet et praedicatum, seorsum apprehendi queant, quin de eorundem coniunctione sententia ulla feratur, verum etiam haec ipsa coniunctio saepenumero apprehenditur sine ullo iudicio. Id manifestum fit,

(1) His verbis videntur maxime confirmari quae ante docuimus de duplici modo quo verbum mentis spectari potest [302.]

cum ex. gr. ea apprehenditur dumtaxat per modum quaestionis, praesertim si simul apprehendantur motiva sua- dentia rem ita esse vel non esse. Non quaelibet proinde apprehensio identitatis vel discrepantiae obiectivae extremorum, subiecti nimirum et praedicati, iudicium dici meretur. Ex alia parte, si iudicium sit actus intellectus ac proinde cognoscitivus, aliquid eo apprehendi dicendum videtur: est enim vana cognitio qua nihil apprehenditur. Quid rei itaque vel quo modo ab hac operatione apprehenditur, ut a simplici apprehensione distinguatur? En quaestionem modo solvendam: in cuius gratiam sequentem thesim subiicimus.

THESIS XIV.

Iudicium mentis est actus vere et proprie cognoscitivus. Eius autem cognitio in eo sita est, quod mens formam praedicato expressam signate intelligat in tali subiecto inesse vel non inesse.

314. *Probatio I partis.* — Argumentum ducitur aliud ex natura intellectus, aliud ex natura iudicii.

I. Iudicium est actus ab intellectu elicitus. Ergo cognoscitivus sit oportet.

Consequentia huius argumenti videtur nota ex communi sensu. Ratio enim adaequata sub qua continentur omnes actus ab intellectu eliciti est *intelligere*. Quare ut dari minime potest actus potentiae factivae qui non sit effectio, neque actus potentiae appetitivae qui non sit appetitio, ita nec dari potest actus intellectus qui non sit intelligere. Loquimur nempe de intellectu simpliciter dicto, possibili scilicet. Atqui intelligere se habet ad cognoscere, ut conceptus inferior ad superiorem. Neque obstat instantia quam nonnulli opponunt, quod videlicet quemadmodum non omnis actus potentiae indicativae debet esse